



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Crvce
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi
coadiutoris**

Juan <de la Cruz>

Coloniæ Agrippinæ, 1639

Proloqvivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37873



PROLOQVIVM.

NON sine aliqua mentis renitentia, quatuor sequentium Cantuum declarationem, vt quorūdam precibus satisfacerem, aggressus sum; eò quod de rebus adeò intimis, & spiritualibus, quibus dignè efferendis verba vt plurimum defunt, pertractent: spiritualia quippe sensum superant, & de medulla spiritus ægrè verba fieri possunt, nisi cum præcordiali spiritu; quem quoniam fatismihi exiguū inesse sentio, ideo hucusq; explanationem hanc distuli. Nūc verò quia videtur Dominus impertijisse menti meæ & spiritui aliquid notitiæ & caloris, resumpto animo laborem hunc subire, decreui: optimè conscius, nihil me ex me, quod ad rem faciat, proferre posse, multò verò minus de rebus tam sublimibus, & substantialibus. Quare, si quid vtile proficuumque protulero, nequaquā mihi adscribo, sed errores duntaxat, & defectus, si qui irrepserint; vnde saniori iudicio, & sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ censuræ, sub cuius directione nemo potest aberrare, submitto vniuersa. Quibus suppositis diuinarum literarum authoritati in-

M m 2 nixus,

3.
nizis
ruce

vera
stica


VV
124

nixus, quidquid sciero, audentius proferre præsumam, illud vnum admonendo, quod quidquid tãdem dixerò, longe illud minus esse eo, quod in intima illa cum Deo v-
nitione peragitur. Nec est cur quispiam miretur, subli-
mes adè, & præterordinarios fauores à Deo anima-
bus, quas ipse delitijs cumulare statuit, concedi, si enim
attentiùs pensitemus, ipsum DEVM esse, & tanquam
DEVM immenso cum amore ac bonitate, eos elargiri;
nequaquam nobis hoc præter rectam videbitur ratio-
nem: quandoquidem ipsemet dixit ad eum, qui ipsum
dilexerit, Patrem & Filium & Spiritum sanctum ven-
turos, mansionemque apud ipsum facturos, quod fieri
debebat, ipsum in Patre, Filio, & Spiritu sancto vi-
tam diuinam viuere, & manere, faciendo, quemad-
modum anima in istis Cantibus significat. Quamuis
enim in Cantibus superius explicatis, de perfectissimo
supremoque, qui in hac vita obtineri possit perfectionis
gradu, qui est transformatio in Deum, fuerimus locuti:
præsentes tamen Cantus de magis consummato, perfe-
ctiorique, in eodem ipso transformationis statu amore
pertractant. Nam licet indubium sit, id quod Cantus
isti & illi proponunt, eundem esse transformationis sta-
rum, nec vltius, in quantum talis est, progredi posse:
temporis tamen successu exercitioque perenni, perfici
potest, multoque amplius in amore substantiari seu cõ-
centrari. Sicuti euenire solet, quod quamuis ignis li-
gnum

1. ad. 14. 23.

*Quanam
sit materia
cantuum
qui in hoc
libro ex-
plicantur.*

gnum ingressus, illud in se transformauerit, sibi que iam vnierit: inflammato tamen magis & inardescente igne, longiorique mora, illud penetrante multo magis splendescit, flammescitque, donec scintillet, & euomat flammam. Atque in hoc ardentissimo gradu, intelligenda est hoc loco loqui anima, transformata iam & interius in amoris igne consummata: non enim vnita est duntaxat huic diuino igni, sed iam viuam ipse, in ea excitat flammam; quod etiam ipsa experitur, vnde in Cantibus istis cum intima delicatissimaque amoris suauitate, flammis ipsius succensa de eo loquitur, stupendos quosdam, quos in ea producit effectus perpendendo, quos ego eodem, quem in alijs Cantibus obseruauit, ordine explicabo: Primo loco Cantus omnes coniunctim proponam; confestim vero quemlibet Cantum breuiter explanabo. Et tandem vnumquemque versum singillatim elucidabo.



3.
nizis
ruce

vera
stica

VII
124